

Heinsio.

Vir Nobilissime.

[361]

Non distuli, ne momento quidem, desultorio, Principi referre, quae in rem tuam et Academia, unâ mihi cum Amplissimis collegis Poljandro ac Boxhornio commendatae voluisti. Neque ille, quidquam decessisse testatus est prolixae voluntati, quâ te usque amplexum esse, ego testor. Caeterum, quod illic angurabas, evenit. Iudicavit Princeps, ex privato rei relatu vel famâ, non videri consentaneum sese literis ut commoveat erga Rempublicam quam designatis et quam nec ipse dubito precibus nostris aut comminationi, facile accessuram: Publico nomine si rogetur, puta Senatus Academici vel Curatorum: tum se libentius dispecturum, quid suis verbis decoris satis, et cum fructu praestari possit. Vides Amice, quo loco res sit; nullo, si te negligis, bono, si effectum das quod in tuâ est manu. Meam hinc opellam, et ubique commodis tuis addictam et devotam putas, et vale Meum decus. Maldeghe in castris
XIV. Jul: CIDICXLIV.

Boxhornio.

Amplissime ac doctissime vir.

[362]

Non illud aequum est, sed ipsa aequitas, quod postulatis. Vide tandem quid a Principe responsum tulerim, quamquam non detrectet ille quietem Academiae tuae, et existimationem tanti Collegae vestri, sed hoc, suo modo, procuratum velit. quod ut facile ominatus eram, nec ipsum te improbatum arbitror. Omnia ad eum perscripsi, cuius res agitur; quod mihi in praesentia rerum moles incumbit, non patitur ad singulos amicos eadem repetere. Affanias meas quod non desperes tam insigni humanitate tuâ, quam nullo meo merito factum noni. Itaque te non veritatis, ignosce, testem admitte, sed amoris et benevolentiae, quâ me prosequeris, nimis nunc facundum interpretem. Vale vir Eximie, et hunc errorem tamen errare ne desine. Maldeghe in Castris 14. Julii
CIDICXLIV.

Doctore